

**III FEBRVARII
DE SANCTIS MARTYRIBVS SEBASTENIS
BLASIO EPISCOPO,
II PVERIS,
VII MVLIERIBVS,
III ACTA AVCTORE ANONYMO,**

**ex MS. monasterij Bodecen. Can. regular.
descripta a Ioan. Gamansio Soc. Iesv.**

PROLOGVS AVCTORIS.

[1] Cvm ab Apostolis Apostolorumque successoribus fundata per vniuersum mundum Ecclesia nobiliter floreret, & iuxta Euangelicam similitudinem iacto versi Dei semine bona terra in aliis tricesimum continentiae, in quibusdam sexagesimum viduitatis, in aliquibus centesimum sanctae virginitatis fructum vbertim proferret; ad comprobanda etiam illa quae secus viam & quae in petrosis vel in spinis ceciderant; ad segregandas quoque a tritico paleas, Diuinae examinationis ventilabro purganda interdum etiam permundabatur. [Matth. 13. 8] [In persecutione multis cadentibus,] In singulis denique vrbibus, vicis & regionibus, ex vulgi seditiombus persecutionis immanissimae procella surgente, non solum fortioris aetatis viris & mulieres, sed & decrepiti senes, & impubes pueri & puellae comprehenduntur, tribunalibus Regum & Praesidum sistuntur, ac primo quidem blanditiis, praemiis & honoribus ad denegandam fidem illiciuntur; deinde cunctis tormentorum generibus ante oculos expositis coguntur. Horum quidam, vt arundo ventis agitata, mox ipso poenarum aspectu territi cedere: alij post primam & secundam vel tertiam quaestionem, vtpote fundamento super arenam locato, ventis & inundatione impingentibus,

miserabiliter cadere, captioque venanti Babyloniæ facti, diuitem dentibus eius prædam exhibere. At hi qui domus suæ fundamentum super petram posuerant, [multi gloriose certant.] quot pœnarum sustinuerunt genera, quæ lingua enumerare sufficiat? Alij carceralibus tenebris damnati, fame & siti enecantur, alij viui decoriantur, quidam flagris, verberibus & plumbatis afficiuntur, alij lapidibus obruuntur, alij flammis exuruntur, quidam ad exemplum Dominicum cruci affiguntur, alij multipliciter excruciatii postremo gladiis transfiguntur. Quibus enim Christus viuere fuit, & mori lucrum, dum hunc solum mentis oculis intendunt, hunc esuriunt, sitiunt, desiderant, omnes qui inferri possunt corporum cruciatus paruipendunt. Vnde & corporibus eorum in pace sepultis, nomen & gloria manet in secula, laudemque eorum omnis concelebrat Ecclesia.

[2] De quorum omnium numero vnus præcellentissimi & pene incomparabilis viri, S. Blasij passionem, iam ante quidem stylo memoriæ traditam, sed minus idonee, ego, licet indignus, deuotus tamen laudator, mihi vendico explicandam: non de mea quidem præsumens scientia; sed in illius confisus misericordia, qui ora mutorum aperit, & linguas infantium facit disertas. Quod si mihi aliqui velint imputari, [Auctor Acta S. Blasij scribit, ab eo mortis periculo liberatus.] quod me maiora modumque meum excedentia præsumpserim, dent, rogo, veniam audaciæ. Quod si eorum auctoritas id agere dignata fuisset, mea inscitia eorum peritiæ libentissime cessisset. Simul & nouerint me non ex proteruia, sed ex debito laudem hanc quantulumcumque tali Patrono obtulisse, quippe qui de ipsis faucibus mortis erutus vitæ vigeo restitutus. Ego prout possum balbutienti lingua propositum exordiar.

CAPVT I.

S. Blasij virtutes, miracula.

[3] [S. Blasij patria, genus, virtutes,] Igitur beatissimus Martyr & fortissimus athleta Christi Blasius Sebasteæ, metropolis Cappadociæ, extitit indigena, nobili exortus parentela: sed hanc carnis nobilitatem, excellentior mentis generositas per morum decoravit probitatem, & honestæ vitæ conuersionem. Erat enim prudens, mitis, aspectu iocundus, affabilis, castitate præcipuus, pietate & patientia præpollens; quem neque prospera extollerent, nec aduersa deiicerent; caritate diffusus, misericordia omnibus amabilis, discretione solertissimus, omnigenarum virtutum floribus exornatus. Rara tunc temporis in eadem, quam prædiximus, vrbe Christianorum conuenticula erant: quippe in montibus & speluncis & in abditis terrarum, violentia persecutionis cogente, latebram fouebant Christiani. Nam Licinius, quem Christianissimus, & totius religionis Imperator Constantinus Imperij collegam ascuerat, [Episcopatus quali tempore ei impositus?] sibi pro morum probitate & primæ fidei pietate, sorore sua ei in matrimonium data, arctius deuinxerat, ad sacrilegia paganismi prolapsus, fidei oblitus, in inuidiam eiusdem Principis statum Ecclesiarum, quem prius omni studio instaurauerat, nunc grauitur turbando conquassauerat: & qui ante in persecutores Christianorum durissime vlciscebatur, ipse nunc versa vice persecutionis crudelissimæ auctor & machinator efficitur: Ecclesias, quas a Galerio Maximiano & Maximino destructas ipse propriis impensis reædificauerat, diruit: Dei populum, & maxime Sacerdotes & Clericos, nouarum inuentor pœnarum, exquisitis & inauditis cruciatibus afficit, nullumque tutum consistendi locum relinquit. At hi qui in Sebastia pauci numero remanserant, cum & ipsi in quantum poterant, occultarentur, S. Blasij in carne præter carnem uiuentis conuersionem cernentes, vnanimi consilio pari consensu & electione Præsulem eum sibi statuere.

[4] Quibus cum aliquamdiu non solum verbo prædicationis, sed & sanctæ vitæ exemplis irreprehensibiliter præfuisset, eremi secreta cœpit meditari, crebris ieiuniis, ac suspiriis, cum David proclamans: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo & requiescam. [latebræ in monte:] Elongavit fugiens & mansit in solitudine: vt qui cum Martha hactenus in practica vita desudasset, iam cum Maria theoriæ dulcedinem prægustare valeret. [Psal. 54. 7] Reperto denique specu in monte Argæo, (qui vt Solinus perhibet, niualibus iugis arduus, ne aestiuo quidem a sole torrente pruinis careret) ibidem se contulit, solusque cum solo mussitans Deo, [ferarum consortium,] quamquam ab omni humanæ visitationis se submouisset solatio; agrestium tamen ferarum accessu frequentabatur crebertimo: quarum si quæ alicuius malæ valetudinis incommodo laborarent, tamquam intellectuali spiritu instigante, ad eum ferebantur, eiusque pedibus acclines medelam sanitatis, voce qua poterant, [curatio,] precabantur. Quam cum benedictione se consecutas esse sensissent, hoc ei beneficij, & quasi pro gratiarum actione rependebant, vt nequaquam ab eo recederent; sed veluti patrono famulorum more iugiter assisterent. O beatum virum, non inferiori gloria Helicæ & Danieli comparandum! quorum vnus & ipse in eremo degens ferarum cohabitator, rapacium coruorum ministerio pascitur: alter vero in lacum leonum proiectus, traditoribus suis ab eis coram se deuoratis, ipse illesus & securus in medio eorum requiescit. In hoc scimus eis etiam eum præferendum, quod non solum inter bestias commorabatur, sed & in egrotantes eas non parua sanitatum insignia operabatur. [gratitudo:] Tua Christe hæc sunt opera: pietatis tuæ hæc sunt magnalia. Et o miseranda & lugenda hominum stultitia! En irritationabilia animalia expetendæ a Dei seruo sanitatis sensum habent: ea consecuta, ne velut ingrata videantur, officium pro posse rependunt: homines vero rationabiles, ad imaginem & similitudinem Dei conditi,

obcæcatis mentium oculis, & induratis cordibus, nec Deum, nec Sanctos eius agnoscendo reuerentur; sed ligna & lapides ad auxilium sui inuocant, his salutem suam & beneficia a Deo concessa deputantes.

[5] His temporibus in eisdem partibus Agricolaus præsidatum agebat, qui omni bellua immanior, secundum possidentis & exagitantis se Sathanae voluntatem, genus Christicolarum grauiter deuastabat. Quodam vero die congregatis satellitibus suis & venatum missis, cum in montem Argæum deuenissent, casu ad S. Blasij latebras deoluuntur. [iis ante specum excubantibus,] Cernentes autem immensum gregem ferarum in vnum conglobatum, vi timoris pene exanimes concidunt. Deinde recreato paullulum spiritu, quidnam hoc miraculi sit, inter se submurmurant: & mox rei veritatem certius exploraturi, vacillante licet gressu, illo pertendentes, spelæum reperiunt, & sicut humanæ curiositatis moris est, introsipientes, athletam Christi orationibus incumbentem deprehendunt. Quo viso summa cum festinatione ad Præsidem redeunt, [orans repertus,] quæque viderant, narratione subtili referunt. At ille inhumanum pendens, & veluti lupo ad deglutiendam captam ouem rabie adactus, addito prioribus militum numero, morarum impatiens eos abire quantocyus vrget, omnia loca diligenti inquisitione perscrutari; & quoscumque Christiani nominis reperiant, sibi præsentandos pertrahi iubet. Haud segniores illi insanis parent præceptis, abeuntesque specum pernici cursu ingrediuntur, sanctum virum adhuc precibus insistentem sic alloquuntur: [citur ad Præsidem,] Surgens proficiscere; præsidalis iussio te suis iubet exhiberi conspectibus. Qui ab oratione consurgens, lætissimo vultu, hilari voce eos resalutat, dicens: Bene & opportune venistis, dulcissimi filij, gratulor de aduentu vestro, quia tempus meum iam adesse recognosco. [diuinitus præmonitus:] Dominum enim meum Iesum Christum, cui serui, quem solum verum Deum

corde credo & ore confiteor, hac nocte ternis mihi vicibus vidi apparentem, meque consuetudinaria sibi holocaustomata litare præcipientem. Vnde ipsius me gratia vocari credens, intrepido & constanti animo, quo vultis, carissimi, pergam. Ipse mihi adiutor est; non timebo quid faciat mihi homo.

[6] Et surgens eadem hora lætus & hilaris iter arripit cum eis, te Christe semper in ore, te præ cordis oculis habens, te futuri agonis adiutorem sperans & remuneratorem. Sed nec in ipsa profectionis illius angaria ab opere prædicationis vacabat. Siquidem quoscumque Gentilium poterat, admonitionibus & exhortationibus ad Christum pertrahebat, fidem dictorum, potentia signorum confirmante. Infirmos ab eis oblatos sola manuum impositione sanare, omnigenisque morborum doloribus potentis fidei virtute occurrens, solius orationis medicamen impendere. [ægros sanans manus impositione & oratione,] Nec in hominibus tantum, sed & in diuerso animalium genere, si qua fortassis læsione, ea laborare contigisset, hanc sanitatis gratiam operari. De quorum innumera multitudine, filius viduæ cuiusdam restis ponatur, vt in hoc vno comprobetur, quod vel quantum tunc temporis contulerit, aut nunc & vsque in consummationem seculi, recta fide expetentibus misericorditer conferat. Isdem ergo puer dum vice quadam piscis edulio se reficit, subito spinæ in gutture eius intolerabili cruciatu cœpit affligi, & violentia doloris paullatim, in deterius crescente iam iamque egressum animæ præstolari. [sic pueris spina piscis gutturi inhærente, pene suffocatum sanat:] Cuius mater dum eum vnicum haberet, eique veluti iam exanimato supremas exequias luctuosa pararet, cognito beatum Antistitem Blasium ibidem transire, fide forti, spe de sanctitatis eius meritis præsumpta, obuia currit, pedibus aduoluitur, filium iam extremum halitum trahentem offert; ipsius casum suamque calamitatem cum lacrymis exponit, vt

super se viscera pietatis & misericordiæ effundat, illum vitæ ac sanitati pristinæ restituendo, per Christum coniurat. At ille vtpote totus caritatis visceribus plenus, fidem mulieris perpendens, eiusque miseræ compatiens, genua flectit, nec solum pro præsentis puero, sed pro futuri temporis ægrotantibus, hanc ex intimo corde orationem Domino fundit: Domine Deus meus, Iesu Christe, qui prope es omnibus inuocantibus te in veritate, qui voluntatem timentium te facis & deprecationem eorum exaudis: adesto & mei humillimi serui tui precibus, & hunc puerulum, ablata de gutture eius qua angitur spina, matri incolumem redde. Precor etiam, [pro se inuocaturis orat:] Domine, vt ex hac hora cuicumque hominum hanc incidere passionem contigerit, si per commemorationem nominis mei, clementiam tuam in auxilium sui inuocauerit, dicens: Domine Iesu Christe, verus Deus noster, per orationem serui tui Blasij festina in adiutorium meum, secundum multitudinem miserationum tuatum ei fideliter succurre, & ab omni infirmitatis, qua laborauerit, genere potenter digneris eripere. Quod si & diuersa animalium & volatilium genera, quæ humanis deseruiunt vsibus, tale quid corripuerit, nomenque meum super eis inuocatum fuerit; propitiare, Domine, petentibus, sanans ea, quia Deus miserationum & clemens tu es. Hæc cum perorasset surgit, signumque Crucis gutturi eius imprimens, manu data eum subleuat, & incolumem matri, Deum iugiter collaudanti, reddit.

[7] Iam fama nominis eius, sanctissimæque vitæ munditia, etiam per totam Nicopolim increbuerat. Siquidem pro arte medicinæ, qua secundum secularem scientiam non minimum pollebat, ita iam etiam ante plurimis notus & amabilis extiterat. [porcum a lupo ablatum restituit:] In vltiora ita que progressu occurrit anus quædam pannis & annis obsita, quæ ad subsidia totius vitæ, quam pauperrimam ducebat, nihil præter vnam possidebat suam, quam lupo inuadens, rapacissimam expleturus

ingluuiem, exportauerat. Amplectens ergo Sancti vestigia, casum suum lacrymosis et questibus intimat, & vt sui misereatur, ablatum sibi porcum restituens, miserabiliter efflagitar. Ille vero ioculariter hæc suscipiens, pie tristem consolabatur, dicens: Noli, paupercula, noli animum tuum mœrori intantum dedere, quia quod amissum defles, propediem tibi reddi gaudebis. Et ecce lupo, quasi per hæc verba interdictum degustandæ, quam rapuerat prædæ, audisset, eadem hora per uio cursu repedit, & sine vlla læsione integram illibatamque suam, cunctis videntibus, viduæ repræsentat.

Annotata

De ipso quoque Blasio scribit Bellouac. Corui quoque ei alimoniam assidue deferebant. Idem tradit S. Antonin. Acta Baroniana habent; feras ei cibum attulisse, vti olim corui Eliæ ferebant; nisi male sint dispuncta.

CAPVT II

Tormenta S. Blasio inflicta.

[8] Sanctus autem Blasius martyrij desiderio flagrans, & cum militibus cœptum iter accelerans, mox vt ingressus metropolim Sebasteam, Præsidi nuntiatur adesse, claustris carceralibus iubetur includi, & postera die maturius eo surgente tribunalibus sisti. Quo præsentato, Agricolaus iuxta interpretationem nominis sui (quodam enim sic interpretante, Agricolaus dicitur a agrestis blanditor) primo eum blande, sed fecte salutatur dicens: [Præsidi intrepide respondens,] Salueris, Blasi, pro deorum amicitia, qua præpolles, omnibus honorande. Quem S. Blasius hilari vultu eodem modo resalutans ait: Salueris & tu, Præses illustrissime. Nolo te intantum falsitati dedas, vt, abstrusis contra intuendam veritatem mentis oculis, eos deos dicas, qui opera manuum

hominum os habent, & non loquuntur, & oculos, & non vident, aures, & non audiunt, &c. Nam quod loqui videntur, ad decipienda misera hominum corda dæmones per eorum ora loquuntur. Caue ergo prudenter, ne ea tu colens & honorans, similis eis fias; quia perpetuo tradentur igni cum omnibus qui confidunt in eis. [cæditur fustibus:] Hanc eius præclaram confessionem Præses furore cæcus non ferens, cum eum fustibus mactari iussisset, nec diutissime cæsus cederet, quin potius a Christo magis magisque confortari fateretur, confusus eum in carcerem recipi iubet.

[9] Quod cum pro certo, fama vulgante, scisset anus illa paupercula, cui pridie per ipsius iussionem lupus ablatam retulerat suam, memor Dominici illius dicti, quia quisquis dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli, non perdet mercedem suam, piæque devotionis incitata voluntate, quod habuit, fecit, & eadem porca sua occisa, caput & pedes coxit: noctuque veniens ad carcerem secum detulit, & remuneratis custodibus, vt ad Christi athletam ingredi permetteretur obtinuit, accensaque lucerna ingrediens ei obtulit, vt ex his aliquid gustare dignaretur, obnixis deprecans precibus. [Matth. 10. 42] [cibo recreatur a vidua, mercedem, etiam temporalem, promittens:] Qui suspiciens ad cælum, immensasque Deo grates referens, comedit, dansque illi benedictionem plenissimam, vt iugem sui memoriam habeat, hortatur: domum eius, vel omnium qui hoc sequentes exemplum, sui sæpius memorarentur, cælestis benedictionis vbertate fœcundandas pollicetur. Cuius illa mandatum summa cum veneratione suscipiens læta se domi recipit; Deum pro gloriosissima confessione & sustinentia Martyris sui collaudans & glorificans. O vere diuitem huius viduæ paupertatem, & opulentia Croesi Regis præferendam! O laudandam vetulæ fatuitatem, quæ etsi iam decrepita sensu poterat delirare, Evangelicæ tamen sapientia se haud expertem hoc

monstravit, dum de crastino non cogitavit! O viduam illi Sareptanæ non incongrue comparandam, quæ dum pugillum farinæ, quem solum habebat, & parum olei, vt Helicæ esuriem satiaret, esuriens expendere non pertimuit, & ipsa cum filio a præsentis famis periculo liberari meruit, & meriti sui memoriam in secula dereliquit. Hæc nec inferior computanda videtur illi Evangelicæ viduæ, quæ dum duo minuta, id est, quadrantem, in dona Dei misit, Dominicæ vocis testimonio comprobata, omnibus, qui in gazophylacium æs iactauerant, diuitibus præferri meruit; quia cum hi omnes ex abundanti sibi misissent, hæc ex penuria sua, totum quod habuit, dedit. Sic & hæc fidelis vidua fecit, quæ nihil aliud omnino, vnde viveret, præter hunc vnum possidens porcellum, vt sancto Martyri carceralibus claustris damnato subveniret, nec huic vnico, quin potius nec sibi ipsi pepercit: vnde nec recedet memoria eius, & iustitia eius manet in seculum seculi.

[10] Alia igitur die illucescente, Agricolaus tribunali in secundo secretario si sibi præparato eductum de carcere S. Blasium præsentari iubet: astantem, vt diis suis sacrificaret, blanditiis exhortatur; si recuset, diversis tormentorum generibus attrectandum minatur. Abnegat, interitum diis, qui cælum & terram non fecerint, imprecatur; se Christi cultorem esse semperque futurum profitetur. Cur in inferendo promissa supplicia moretur, coarguit: horum se apparatus, quanto multiplicior sit, velut exquisitarum epularum ferculis delectari; virtutem sufferentiæ & fortitudinem sibi de cælo a Christo subministrari. [ferreis pectinibus dilaniatur,] At Præses eum nec blanditiis inflecti, nec minis cernens terri, suspensum in eculeo mandat excruciarum, totumque corpus eius, nouo crudelitatis genere, ferreis pectinibus dilaniari. Fortissimus Dei agonista adhæc immobilis permanere, [immobilis velut non sentiens.] oculos cordis & corporis ad cælos erigere, te, Christe, infatigabili voce iugiter

laudare & glorificare; nil se pœnarum sentire, cui tu adiutor adsis, Tyranno improperare.

CAPVT III

Septem mulierum martyrium.

[11] Tunc ille cruentas lanistarum suorum manus persentiscens lassescere, ipsum nullatenus cedere, imo valentiolem tortoribus existere, quoad vsque grauius aliquid, quo perimatur, excogitet, victus & confusus eum in carcerem reduci iubet. Quo cum a militibus deducitur, ecce mulieres quædam septem numero, quibus ipse Christi bonus odor factus fuerat odor vitæ in vitam, accepta in Deum fiducia sequuntur, sanguinem ex incisionibus dilaniati corporis distillantem feruenti studio colligunt, corporaque sua optimi & pretiosissimi vnguenti vnguine liniunt. [7 mulieres, sanguinem eius colligentes, capiuntur:] Hac de causa a carnificibus requisitæ, ne fortasse & ipsæ sint Christianæ, constanter profitentur, tenentur, ad Præsidentem ducuntur, Crucifixi legibus obedire accusantur. Quas cum ille blandis persuasionibus ad thurificandum idolis exhortaretur, continuo pœnarum formidine se territas fingentes, assensum suum præbituras pollicentur, ea conditione, vt ad lacum pariter progressæ manus & facies inde lauent, sicque diis allatis & in ipsa ripa venerabiliter locatis, mundis manibus & toto corpore, grata eis libamina litent. Mox summo exhilaratus gaudio, cum omni celeritate militibus voluntati earum parere præcepit: simul & ipse spectandi euentus gratia, moræ impatiens, cum eis pergit. [idola in lacum abiiciunt:] Vt igitur ad lacum peruentum est, simulachris in ripa locatis, summaque ambitione exornatis, sanctæ mulieres ea in manibus velut osculaturæ & oblaturæ suscipientes, in voraginem laci proiciunt.

[12] Tum vero Præsidentem cerneret mente alienatum, facie immutata expalluisse, & inter iram metumque æstuantem

quid ageret, quoue se verteret palpitare. Balbutiundo tamen vix exclamat, & milites circa eas stantes, cur diis suis non subuenirent, ne mergerentur, increpitat. Illis e contra excusantibus, dolositate mulierum se circumuentos, numquam eas tantum flagitij admissuras credidisse. Sanctæ mulieres dixerunt: diuinitas iam humano non indiget auxilio, sed humanitas diuino. [deos rident:] Si dij fuissent, non vos eos, sed ipsi vos iugi custodia tueri debuissent. Quia vero ligna erant & lapides & æramenta, vestra hactenus defensabantur custodia. Ecce perierunt, similiter & vos, nisi resipiscatis, peribitis, & omnes qui confidunt in eis.

[13] Tunc alter Nabuchodonosor cæcus furore, & tamquam leo rugiens, fornacem Babylonicis fomentis & viribus mandat succendi, plumbum reliquari, pectines ferreos afferti, septem tunicas æreas ad mensuram corporis sigillatim fieri. Contra vero in alio loco pannum lineum candidissimum oppandi. [tormenta contemnunt:] Residens proinde pro tribunali, conuocatis eis, dat arbitrium eligendi, quod libuerit, aut diis sacrificent, de præterito errore pœnitentiam agentes, & super lineum pannum ambulent, cum iucunditate vita perfruentes, insuper donis magnis honorentur; aut recusantes, tormentis, quæ in præsentem cernant, aliisque grauioribus, quæ excogitare possit, consumentur. Quarum vna felix duorum pignorum mater, arreptum eundem, super quo incedere iubebatur, pannum proiecit in furnum candentem, qui mox flammis consumptus est; paruulis ei iugiter adhærentibus, & quod de tali ætatula vix cuiquam credibile videatur, commori cum ea summo desiderio præoptantibus.

[14] Cumque nullo modo flecti quirent, in eculeis suspenduntur, & ferreis pectinibus toto corpore dilaniantur. Sed eis ad Dominum proclamantibus, Ne tradas, Domine, [pectinibus ferreis dilaniantur, lacte e

vulneribus manante:] bestiis animas confitentium tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem; & rursum: Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram; totius doloris expertes redduntur; ipsis carnificibus cernentibus, quod riuus lactei pro sanguineis de inflictis vulneribus emanarent, & dilaceraræ carnes niveo albore candescerent. Angelorum enim visitatione & affatu recreatæ, ab omni plaga sanabantur: quorum & exhortationibus corroboratæ ad perseuerandum vsque in finem, [sanantur & animantur ab Angelis.] pro percipienda æternæ palmæ corona commonebantur.

[15] Post hæc Præsidis iussu ex eculeo depositæ, liquenti plumbo perfunduntur, nec læduntur. Dein septem tunicis æreis inclusæ, sed nec ab his quicquam læsionis perpessæ, camino iam ardenti immittuntur. Nec ipsis in hoc camino defuit, qui in illo Babylonico tribus pueris quondam adfuit. [liquente plumbo, & igne non læduntur:] Nam mox flammis extinctis, cælesti gratia irrorante refrigerantur, & egredientes sanis & integris corporibus, impio ludici repræsentantur. Sed induratum cor Pharaonis, nec tanta miracula Diuinæ potentia, sed magicis deputat artibus. Cui sanctæ mulieres, Nos, inquiunt, gratias agimus Domino Deo nostro, qui nostri, licet peccatricum, misertus, tanta erga nos dignatus est operari magnalia, a quo ecce ad ingrediendam perpetuæ vitæ viam vocamur. Tu vero, carnifex inique, cuius cor sathanas obduravit, & oculos, ne verum videre possint, excæcauit, a cœptis ne desinas: ne, quæsumus, nobis moram facias, quia ecce patentem videmus, quam ingrediamur, regni cælestis portam.

[16] Tunc per omnia victum se sentiens, quod vnum restabat, [addicuntur morti:] confusus, in omnes simul gladio animaduerti mandat. Cumque a carnificibus perductæ fuissent ad locum, vbi felicem expleturæ erant cursum, impetrauerunt ab eis quantulumcumque orandi

spatium, & flexis genibus huiusmodi orationem fuderunt, dicentes: Domine, Domine, cuius non est similis in diis, & secundum cuius opera non est, quia magnus es tu, & faciens mirabilia, [Deo gratias agunt:] tu es Deus solus, Deus noster, qui vocas ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt; qui de tenebris lucem splendescere facis, qui nos de infidelitatis tenebris in hanc splendidissimam veritatis lucem vocare dignatus es, immensam pietatis tuæ misericordiam obsecramus, vt per interuentum beatissimi Martyris tui & Patris nostri Blasij, cuius verbis & exemplis fidei tuæ rudimenta percepimus, & ad hunc præclarissimum martyrij agonem animatæ sumus, nos licet indignas inter oves tuas connumerate, & in ea perpetuæ vitæ sorte, in qua sanctam Martyrem tuam Theclam constituisti, digneris deputare. His peroratis surgentes, manibus expansis, & oculis ad cælum eleuatis, tamquam ex vno ore dixerunt: Gloria tibi Christe Deus noster, qui nos in hanc horam perducere dignatus es: & nunc, Domine, quia tibi sacrificium est spiritus contribulatus, & cor contritum & humiliatum non spernis, in anima contrita & spiritu humilitatis nosmetipsas, quia aliud non habemus, holocaustum tibi sacrificamus. Suscipe animas nostras & perduc in regnum tuum.

[17] At illi duo paruuli, de quibus supra dictum est, cernentes matrem suam iamiamque finiri, [pueris rogantibus, vt ipsos S. Blasio commendent] nullam exinde, quemadmodum humana fragilitas, & maxime illa assolet ætas, tristitiam habuere, sed sancti Spiritus gratia confortati precabantur eam, vt quandoquidem ipsa iam ad perpetuæ coronæ palmam appropinquaret, se beatissimo Patri & Doctori commendet. Nec mora; extractis lictores gladiis sanctarum amputant capita mulierum; sicque, lutea mole corporis deposita, [plectuntur capite.] terrea relinquunt, cælestia secundo martyrij baptismo candidatæ, cum Christo iam in æternum regnaturæ, petunt. O beatam mulierum

memoriam, in secula prædicandam, omnique laude celebrandam, quæ cum seculo sexum vincentes, caput serpentis calcaneo suo insidiantis contriuerunt! Ecce nunc singulis animarum immortalitate stolis acceptis tripudiant, post in resurrectione corporum, cum occurrerint omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, binas recepturæ stolas.

Annotatum

Melius in secundis Actis postulasse id dicuntur, irridentes tyrannum, qui stolidam credulitate captus est.

CAPVT IV

S. Blasij & duorum puerorum martyrium.

[18] His igitur ad cælestia de præsentis seculo nequam translatis, vas iræ & iniquitatis Agricolaus Iudex, tertio iam pro tribunali residens, fortissimum Christi Martyrem Blasium carceralibus claustris euocatum sisti iubet, quem & ita affatur: Vel nunc consenti mihi, diis libamina offerendo: aut si vltius distuleris, variis (per deos iuro) pœnis sine procrastinatione interibis. [Isai. 6. 10] Cui sanctus Episcopus respondit: Crudelissime carnifex, [Tertio Præsidi insultat S. Blasius:] cuius cor secundum Isaiam excæcatum est, & aures aggravatæ, & oculi clausi; ne forte oculis videas, & auribus audias, & corde intelligas, & conuertaris, & a Deo saneris; putasne me aliquibus tormentorum generibus a veritatis semita deflecti, lignis & lapidibus insensibilibus inclinari? Nempe si credis hoc, falleris, quia idem ipse qui semper fueram, & sum & semper ero verus Christianus. Soli meo corpori crudelitas tua dominari valet, anima autem solius Dei dominio subiacet. Quis ergo magis metuendus est, vtrumne tu qui occidis corpus, animam autem non poteris occidere; an Deus qui postquam occiderit, habet potestatem corpus & animam perdere in gehennam?

Nempe Deus est, cuius iræ vindictam vehementer pertimesco, promissa desideranter expeto: te vero cum minis tuis pro nihilo computo; imo vt quæ minaris, perficias, totis votis exopto.

[19] Præses dixit: Ecce te, o insane & miserabilis, in laci voraginem submergi præcipio, & quid tibi conferre poterit auxiliij, quem tanto studio colis & prædicas, Christus tuus? Aut qualiter te de manibus meis liberare quibit, qui nec semetipsum quidem de durissima, quam perpessus est, morte liberare quivit? Obmutesce (exclamat sanctus Martyr) infelix lingua, nec me audiente tantam Creatori irrogare audeas blasphemiam: quin potius huc pariter properemus, ne feceris moram, vt & in hoc canina impudentia tua cognoscat, quæ quantæ sit virtus & potentia Dei & Regis mei, qui est Rex Regum & Dominus dominantium. Quibus dictis, [aquis Cruce signatis non mergitur:] continuo omnibus anticipatis ad lacum se pernici gressu proripit, inuocatoque Christi nomine, & signo Crucis contra aquam edito, mox eam ipso supergradiente, velut in soli duritiem cerneret obduruisse. O factum Dominico facto æquiparandum! o virtutem Domini per seruum in vno eodemque elemento renouatam! Dominus super tumentes fluctus maris siccis transit vestigiis: ecce seruus in ipsius nomine super terribilem laci voraginem deambulans potenti fide, parique virtute, veluti super solidam terræ planitiem haud submergendus residet. Nec mirum; cum hoc ipse sequentibus se in Evangelio promiserit dicens: Qui in me credit, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet. [Ioan. 14. 12]

[20] Igitur Præsidem, circumstantiumque militum vel populi multitudinem allocutus exhortatur, vt quandoquidem deos habere se iactitent, si qua sit in eis virtus, [submersis 65 sequi ausis,] demonstrent. Proinde ingrediantur, & in nomine eorum eo loci, vbi ipse sedeat,

secum resideant, hoc experimento diuinitatem eorum se comprobaturum. De quorum frequentia mox ad hanc vocem sexaginta quinque viri prorumpentes, quasi plus ceteris de suorum deorum potentia præsumentes, lacum subintrant: sed continuo flante spiritu Diuino submersi sunt, abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. Quis similis tui in fortibus Domine &c. inter hæc sanctus Martyr, concupiscente iam anima eius in atria Domini, corde & carne eius exultante in Deum viuum, Angelica visitatione & alloquio refouetur, ac hortatu huiusmodi & solamine animatur: [ab Angelo animatur:] Inuictissime militum Christi, bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem seruasti, iam egredere, ad stadium recurre: ecce enim ipse Christus, dux Martyrum, in dextera Dei Patris residens, finem certaminis tui expectat; coronam iustitiæ manibus præfert, quam tibi vincenti iustus Iudex propediem reddet. Iam tibi patet Paradisus, rosarum & liliorum cunctique generis florum perpetuo viridantibus pratis amœnus, vbi te felix commilitonum tuorum iam victorum tripudians expectat cœtus, te ad sui consortium inuitat, cum quibus & ipse iam iam perennem gestans lauream sine fine lætaberis.

[21] His hortamentis & sponsionibus alacrior redditus, Angelica visione ablata, [egreditur e lacu splendens:] morarum impatiens exilit, moxque egressus tam immenso cœlestis iubaris fulgore perfunditur, vt vibrantium radiorum vi cunctorum se intuentium hebetesceret visus. Quo miraculo cum omnes attoniti terrerentur, solus diaboli satelles Agricolaus iam nullatenus tantarum rerum magnitudine permouetur, sed iam desperans sanctum Martyrem vilo modo aliquibus minarum vel blandimentorum generibus ad voluntati suæ patendum inflecti posse, metuens etiam, si diutius vitam eius prolonget, multos eorum a deorum suorum sacris auersurum, huiusmodi sententiam ex tabella recitari iubet: [sententia e tabella recitata] Blasium, Doctorem

Christianorum, contemptorem venerabilium deorum nostrorum, qui perire quam præceptis nostris saluberrime impensis obedire maluit insuper tantam multitudinem ad deorum iniuriam magicis suis artibus in lacu demersit, vna cum duobus puerulis eius doctrina infeliciter deceptis, gladio animaduerti ad exemplum ceterorum iubemus.

[22] [damnatur:] Gloriosissimus vero Christi athleta, hoc audito, grates immensas Deo referens, flexis genibus & extensis ad cælum manibus, hanc profudit orationem, dicens: Domine Deus virtutum, Deus omnipotens, qui sedes super Cherubim, intuens profundum abyssi; cui sedes est cælum & terra scabellum pedum, qui omnia contines, omnia replet, tibi ago gratias, te laudo, te glorifico, quia me ab infidelitatis errore custodisti, & in tui nominis timore & amore confortasti, & ab omnibus corporis mei cruciatibus, [orat pro inuocaturis suum auxilium:] quos hic minister diaboli pro idolorum suorum defensione mihi intulit, me eripuisti. Et nunc, domine Deus, ineffabilem clementiam tuam deprecor, vt ab hac hora, si quis fidelium tuorum, alicuius tribulationis vel periculi, siue etiam persecutionis angustiis oppressus fuerit, aut diuersis infirmitatum generibus laborauerit, vel si infixione spinæ vel ossis in gutture suo quemquam angi contigerit; memorque mei te ad auxilium sui in nomine meo per verba orationis meæ inuocauerit, Domine Deus meus, fideliter petenti adsis, & quæque postulatus fueris, clementer accommodare digneris.

[23] Hæc cum perorasset, repente lucida nube illustratur, & in hunc modum Diuina voce confirmatur: Blasi, athleta mi dilectissime, precem tuam exauditam, petitaque tibi scias esse concessa: & non solum hæc, quæ in præsentiarum petisti, præstabo, sed & fidelem viduam illam, omnesque tui memoriam celebrantes, benedictionum mearum vbertate perfundam. [Diuina voce e nube intelligit se exauditum:] Horrea eorum frumento,

apothecas vino & oleo omnibusque bonis replebo, & cuncta ad eos pertinentia propter te multiplicabo & consecrabo. Tu ergo, gloriosissime agonista meus, Ierusalem cælestis portas iam victor ingredi, vbi mecum sedeas in throno meo, sicut & ego vici mundum, & sedeo cum Patre meo in throno eius. Quibus dictis, & ablata nube, statim a lictore cum duobus puerulis prætorio eiectus, foras muros Sebaste extrahitur; vbi Pastor vere beatus cum geminis agniculis suis gladio victimatur. Sicque corruptibilis carnis exuias deponentes, stolas suas in sanguine Agni lotas & dealbatas induunt. [occiditur cum duobus pueris:] Omnibus crudelitibus detestabiliorem persecutoris crudelitatem, quæ nec infantili ætatulæ parcere nouit! O pretiosissimam Sanctorum mortem, non mortem sed potius vitam, non occasum, sed ortum dicendam! quia dum in terris occidunt, in cælestibus verius oriuntur. Dum hic carne emori videntur, ibi spiritu viuere incipiunt; & ecce Agnum sequuntur quocumque ierit, vestiti vestimentis albis: & non delebitur nomen eorum de libro vitæ, sine macula enim sunt ante thronum Dei. Et sicut ab ipso iudicari & vindicari sanguinem suum de manu persecutoris expetunt, ita & veneratoribus suis peccatorum indulgentiam, & eiusdem gaudij, quo ipsi feliciter perfruuntur, consortia misericorditer deponunt.

[24] Quorum sacrata corpora a religiosa quadam fœmina, nomine Helisea, noctu furtim rapiuntur, [sepelitur:] & linteis aromatibusque diligenter condita, in eodem loco decollationis condigno honore tumulantur: [miraculis claret:] vbi expetente credentium populorum fide, innumera miracula eorum beneficiis ostenduntur. Venerabilis autem anus illa, cui sanctus Martyr suam a lupo ablatam restituerat, vt certo rescivit nuntio eum martyrio finitum corpore iam emigrasse, quemadmodum ipse adhuc viuens sibi commendauerat, conuocatis pauperibus pauper ipsa pro posse memoriam eius

deuotissime peregit. [anniuersarium cultum sibi impensum muneratur.] Deinde accitis omnibus cognatis & amicis suis, optima consiliatrix, vt idem agerent exhortatur. Quibus sano consilio indubitanter consentientibus, & id opere hilariter complentibus, non solum illa, sed & ipsi Diuinæ benedictionis largitatem in breui persentiscunt, cunctis suis substantiis incrementa de die in diem mire capientibus. Sicque factum est, vt omnis cognatio illa memoriam eius de anno in annum celebrare discerent, suæque posteritati per generationem & generationem id agendum contraderent. Compleuit autem martyrium suum athleta Christi Blasius tertio Nonas Februarij, in ciuitate Sebaste, temporibus Licinij Regis, Agricolaο præsidatum Cappadociæ agente, regnante in nobis Rege Regum, Christo Iesu, Domino